Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

sueta neque tam fera, que non et si ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur ut is agnoscat deum qui unde ortus est quasi recordetur. Qui ergo philosophi volunt animos omni metu liberare, tollunt et religionem et orbant hominem suo proprio ac singulari bono, quod est a recte vivendo atque ab omni humanitate disiunctum: quia deus ut cuncta viventia subiecit homini, sic ipsum hominem sibi. Nam quid est cur idem disputent eo dirigendam esse mentem quo vultus erectus est? Si nobis in celum spectandum est, nihil utique aliud quam ob religionem: si religio tollitur, nulla nobis ratio cum celo est. Itaque aut eo spectandum est, aut in terram procumbendum. In terram procumbere nisi velimus, quidem non possumus, quorum status rectus est. In celum igitur spectandum est quo natura corporis provocat. Quod si constat esse faciendum, aut ideo faciendum est ut religioni serviamus, aut ideo ut rationem rerum celestium cognoscamus. Sed rationem rerum cognoscere celestium cognoscere nullo modo possumus, quia nihil huiusmodi potest cogitando inveniri, sicut supra docui. Religioni ergo serviendum est, quam qui non suscipit, ipse se prosternit in terram et vitam pecudum secutus humanitate se abdicat. Sapientiores igitur imperiti, qui etsi errant in religione diligenda, tamen nature sue condicionisque meminerunt.

Constat igitur totius humani generis consensu religionem suscipi oportere. Sed quomodo erretur explicandum est. Naturam hominis deus hanc esse voluit ut duarum rerum cupidus et appetens esset, religionis et sapientie. Et homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiunt omissa sapientia, aut sapientie soli student omissa religione, cum alterum sine altero verum esse non possit. Cadunt ergo ad multiplices religiones, sed ideo falsas, quia sapientiam reliquerunt, que illos docere poterat deos multos esse non posse. Aut student sapientie, sed ideo false, quia religionem summi dei omiserunt, qui eos ad veri scientiam potuit erudire. Sic homines qui alterutrum suscipiunt viam deviam maximisque erroribus plenam sequuntur. Quoniam in his duobus inseparabiliter connexis et officium hominis et veritas omnis inclusa est. Miror itaque nullum omnino philosophorum extitisse qui sedem ac domicilium summi boni reperiret. Potuerunt enim sic querere: Quodcumque est summum bonum, necesse est omnibus esse propositum. Quodcumque est summum bonum | Voluptas est, que appetitur a cunctis, sed hec et communis est cum beluis et honesti vim non habet et sacietatem affert et nimia nocet et processu minuitur etatis et multis non contingit. Nam qui opibus carent, quorum maior est numerus, et voluptate careant necesse est. Non est igitur summum bonum quidem voluptas. Quid divitie? Multo magis.